



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio XXIII. Crucifixus Dominus est clypeus Josue, omnibus in se sperantibus ferens opem & salutem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



# CONSIDERATIO XXIII.

Crucifixus Dominus est clypeus Josue,  
omnibus in se sperantibus ferens salutem.

*Leva clypeum contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. Josue 8. 18.*

1.

**J**osue primus post Moysen dux populi Israëliti in pluribus Christi Redemptoris nostri typum præsetulit, & primò quidem nomine, quia sortitus est nomen *JESUS Navi*, aut *Josue*, quod idem est per anagramma, quàm *ò Jesu*. Secundò quia populum electum per Jordanem feliciter in terram promissionis traduxit, quod & Christus fecit, dum per passionem suam regnum cœlorum nobis aperuit. Tertiò per clypeum suum, quem in oblonga hasta, jubente DEO, in prælio exaltare, & militibus, ut eos ad pugnam animaret, pro tessera & signo militari solebat ostendere, cujus ope contra Haienses insignem ac planè admirandam reportavit victoriam: *Leva clypeum*, dicebat DEUS ad eum, *qui in manu tua est contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam: Jesus Nave*, ait S. Hieronymus, *typum Domini non solum in gestis, verum etiam nomine præfert. Transit Jordanem, hostium regna subvertit; dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque consirmit Ecclesia, cœlestisque Jerusalem spiritualia regna describit &c.*

Jos. 8. 18.  
S. Hieron.  
Epist. ad Paulinum.

2. Erat autem Josue principalis typus Christi JESU crucifixi in expugnatione Hai, ubi metum & fugam cum suis simulans, regem & cives Haienses ad se insequendum pulcherrimo stratagemate alliciebat, quibus ex civitate egressis & urbem vacuam relinquentibus, latentes suas in insidiis copias in urbem immisit, ipso interim clypeum suum constanter contra Hai levante, ex quo signo dato & accepto Israëlitiæ in Haienses egressos conversi, eos omnes generoso aufu trucidarunt, & urbe in cineres redactâ, spolia inter se diviserunt: *Cumque elevasset clypeum*

Josue 8. 19.

L 3



*clypeum ex aduerso civitatis, insidia, qua latebant, surrexerunt confestim: Et pergentes ad civitatem, ceperunt, & succenderunt eam.*

Cornel. hic in Josue & hunc crucifixum intelligit: Josue, ait, representabat hic Christum crucifixum, protendit enim manus efficaces versus Hai, id est versus orbem istum Sathana tyrannide vastatum: Hai enim vastitatem significat, neque eas retrahit tanquam cruci affixus, donec de peccato, damone, morte & inferno sit consummata victoria.

Anime mi! Si semel hunc clypeum S. Crucis apprehenderis, ne illum per pusillanimitatem de novo deseras contrahens manus: Josue non contraxit manum, quam in sublime porrexit tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai: Sic nec crucifixus Dominus de cruce descendere voluit, donec opus redemptionis nostrae consummaret: corona enim datur solum perseveranti, quae prius pugnantem erat promissa. Certa igitur fortiter & constanter.

3. Sponsus ille caelestis ostendit aliquando dilectae Sponsae suae, hoc est Ecclesiae illa arma, quae in suo fortalio pro filiis hujus militantis Ecclesiae reperiantur, unde ait in Canticis: *Mille clypei pendent ex ca: omnis armatura fortium.* Alludit hic Sponsus ad morem quorundam veterum Regum ac Principum, qui scuta, clypeos, pharetras, jacula & alia bellica instrumenta ex aliqua eminenti turre, vel arce tempore pacis solebant suspendere: tum ad decorem & gloriam, tum ut inimicis incuterent terrorem.

In cruce Domini nostri JESU Christi pendent mille clypei, & ipse Dominus ac Redemptor noster pro mille clypeis est, quibus Ecclesia haec militans defenditur, & conservatur. Si ergo te infestat Tartareus hostis, lubrica caro, mundus immundus & mille aliae tentationes, passionis ac pericula: Citò apprehende arma & scutum SS. Crucis, & omnes tuos superabis ac debellabis inimicos: Clypeus enim est Dominus omnibus sperantibus in se.

4. Olim dum in castris ab exercitu Imperatores vel Reges eligebantur, ac solemni ritu coronabantur, super clypeum erant collocati, & sic elevati per universum circumducti sunt exercitum, ut eorum super omnes denotaretur & agnosceretur potestas & imperium.

Christus, cujus à primo vitae instanti imperium super humeros ejus fuit, ubi à Patre declaratus est *Rex Regum & Dominus dominantium*, prius in clypeo crucis exaltatus & elevatus est, titulum regium ipsi scribente & publicante Romano Judice Pontio Pilato: *Hic est Jesus Rex Judaeorum.* Audi ipsum Dominum loquentem: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Supra quod egregie S. Leo P. M.

O ad.



O admirabilis potentia crucis, & ineffabilis gloria passionis &c. Vide in Brev. Rom. 14. Septembris.

5. De Laconiensibus narrat Nonnus, quòd olim infantes suos recens in lucem natos loco cunarum in clypeo aliquo collocare & exponere consueverint, ut sic maturè illos ad labores & vitæ hujus exantlanda discrimina assuefacerent. Imò veteres bellicosi Germani & Majores nostri hoc in more habebant, ut infans in lucem editus mox in ligneo scuto ad Rhenum, celeberrimum Allemanniæ fluvium, portaretur, in quo per clypeum natantem probatus fuit, an legitimo esset progenitus matrimonio. Si mergebatur cum clypeo infans, spurius reputabatur & adulterinus, si verò in aquis supernatabat, ut legitima proles à marito agnita, & accepta fuit.

En sic DEUS & Homo crucifixus hominem Christianum per clypeum S. Crucis suæ probare assolet, antequam illum in filium & æternæ salutis recipiat hæredem: *Quia acceptus eras Deo*, dicebat quondam Raphael ad Tobiam seniore, *neceffe fuit, ut tentatio probaret te*. Ex quibus collige, anime mi, an & tu DEO acceptus sis. Subintrat hic S. Leo Papa: *Unusquisque, ait, fidelis Christi cruce armetur, ut Christo dignus habeatur*. Væ tibi, si cum Saule hunc salutis tuæ abjicias clypeum: *Ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo*.

6. Quantum profuerit ille salutis clypeus (Crucifixus Dominus) Carolo V. gloriosissimo Imperatori, ex illo patet, quòd toties in acie victor extiterit, quoties cum hoste congressus est; unde auream crucem, in qua pendebat Christi effigies, semper ad pectus suum portare consuevit. In expeditione illa Africana, cum belli Principes, ac præsertim Hispana Nobilitas anxie & ambitiosè expectarent, quisnam ab Imperatore ac Rege suo omnium copiarum Generalissimus esset renuntiandus: Carolus V. Crucifixum suum è sinu coram omnibus protulit: *Hic*, inquebat, *erit dux ac supremus Capitaneus noster, cujus ego sum signis*, quæ responsio cunctorum procerum & æmulorum sedavit animos, ut & ipsi magnam æstimationem de hoc suo crucifixo ac supremo capitaneo conciperent, sub cujus signo toties etiam de Barbaris hostibus triumpharunt.

Idem Carolus V. cum in bello Germanico, quod contra Saxo- nem ad Albim fluvium gessit, copias suas obequitaret, in via publica Crucifixi imaginem vidit, plumbeis glandibus à Sectariis & impiis militibus deformatam, & recentibus vulneribus trajectam. Stetit ad hoc Imperator, ac ingemuit, vocemque ac oculos in cælum levans, ex intimo animi sui coram cæteris belli ducibus exclamavit: *Domine, si vis, injuriam hanc ulcisci potes: Ecce autem me vindicem tuum paratum*. Si

Divi



*Divina Majestati tua placet, juva conatus meos. Sic coacto & incitato exercitu generosè in hostem ruit, cujus conjuratas vires uno praelio confregit, contudit, Ducemque vulneribus faucium in potestatem redegit; quam insignem victoriam cum cæteris omnibus Christo JESU & huic Crucifixo grato animo adscripsit. In hunc finem Laredii in conspectu Ducum & aulicorum publicè in genua se demisit, ubi auream hanc suam Christi in cruce suspensi effigiem pro more suo è sinu eduxit, eamque submisso osculo venerans hisce verbis affatus est: *Tu duce toties, Christe, cum hoste feliciter congressus sum, triumphos at-**


Franc. Hærens  
in Annal. ad  
annum 1556.

Mancin. lib.  
8. dissert. 2.

Psal. 15. 6.

Cassiod. sup.  
Psal. 4.

*que honores reportavi, quidquid inde decoris ac laudis est, tibi, qui tribuisti, submisè refero, utque animam brevi ex hoc corpore migratura felicem exitum deus, humiliter rogo. Quam exinde Crucifixi imaginem (in cujus dulci amplexu & SS. Vulnerum osculo Anno 1558. die 21. Septembris piissimè obiit) filio suo Philippo II. velut singularem ac præclarissimam hæreditatem, cum flagello sanguine suo imbuto, in cistula eburnea reliquit. Et nunquid Philippus II. Hispaniarum Monarcha, ubi post patris obitum hanc cistulam aperuit, cum Vate Regio dicere poterat: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi?* Et quid talis ac tantus pater melius huic filio legare poterat, quàm Christum JESUM & hunc crucifixum? Finio cum Cassiodoro: *Crux, inquit, est humilium invicta tutio, superbiorum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, celestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum.**



## CONSIDERATIO XXIV.

Josue pugnantis contra quinque reges, ty-  
pus Christi in cruce contra quinque sensus  
pugnantis.

*Percussitque Josue, & interfecit eos, atque suspendit  
super quinque stipites. Josue 10. 26.*

I.

Josue 10. 13.

**C**ruentum quondam prælium Josue incomparabilis belli dux  
contra quinque Chananæorum Reges commisit, in quo Solem  
sistebat & lunam: *Steteruntque sol & luna, donec omnes hosti-  
les profligaret phalanges; & quia quinque illos Reges in spe-  
lunca*